



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

MARTYROLOGIVM.|| DER Kirchenkalen=||der/

Canisius, Petrus

Dillingen, 1599

VD16 M 1284

Testimonia Veterum Patrum, de Sanctorum Memorijs, in Ecclesia
celebrandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41449

TESTIMONIA VETERVM

PATRV, DE SANCTORVM MEMO-

rijs, in Ecclesia celebrandis.

TERTVLLIANVS, qui vixit anno post Christum 160.
libro de Corona militis.

Oblationes pro defunctis, pro natalijs, annua die facimus.

CYPRIANVS, qui vixit anno 260. lib. 3. epist. 6. de
Martyribus ita scribit.

Dies eorum quibus excedunt, annota, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrū celebrare possimus. Et paulo post: Significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriose mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum, Domino prosperante, celebrabimus.

AMBROSIVS, qui ante annos 1100. floruit, serm. 77. in
natali Tauricorum Martyrum.

Cum omnium sanctorum Martyrum fratres deuorissimè natalem celebrare debemus, tum eorum præcipuè solennitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domicillijs proprium sanguinem profuderunt.

AVGVSTINVS, ab eodem Ambrosio baptizatus,
lib. 20. contra Faustum cap. 21.

Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur.

*Ecclesia Smyrnenfis de suo Episcopo & Martyre S. Policarpo ante annos
1300. apud Eusebium Cesariensem lib. 4. cap. 14. hist. Eccles.*

Nos ossa eius (S. Policarpi) potiora lapillis preciosis, auroque puriora, ex cineribus selecta, eo loco repositimus, qui illis erat decorus, consentaneusq;: Vbi sanè nobis in vnum aliquando coactis, Dominus præstabit, vt celebrem eius martyrij diem, instar natalis festi, cum exultatione & gaudio, quantum fieri potest, maximo recolamus: idq; cum ad Martyrum memoriam, qui antea tale certamen confecerunt: tu ad eorum exercitationem, mentisq; ad talem constantiam præparationem, qui postea Christum eo genere mortis ingenue confessuri sint.

GREGORIUS MAGNVS, qui anno 600. vixit, ad Eulo-
gium Alexandrinum Episcopum. lib. 7. Epist. 29.

Nos autem pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in vno codice nomina habem⁹, atq; quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solennia agimus.